



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

XI. Socratis,

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

*Socratis ;*  
Euf. De Præp.  
Evang. libr. 13.  
Clem. Alex.  
Strom. 5.

XI. Mosaicarum quoque sententiarum aura aliqua afflatum fuisse Socratem sensisse videntur Aristobulus apud Eusebium, & Clemens Alexandrinus. Ipse vero Socrates in Phædro Platonis, Theuth Ægyptium plurimarum rerum inventorem prædicat. Theuth autem Mosem esse docebitur.

*Theopompi ;*  
Theodoret.  
Ant. De xxx.  
Interp.  
Jof. Ant. 11. c. 2.

XII. Hic sibi locum postulant, quæ de Theopompo, & Theodeete dicta à Demetrio Phalereo referunt Aristæas, & Josephus: hunc nempe oculorum, illum mentis usu fuisse divinitus orbatum, quod nonnulla de sacris Voluminibus delibata scriptionibus suis intexuissent; ac agnito demum & emendato errore fuisse utrumque sanitati restitutum.

*Platonis ;*

XIII. Ægyptios quoque Hierophantas adiit Plato, & Sechnuphidi præcipuè Heliopolitæ in disciplinam se tradidit. Illic etiam ex Columnis Mercurii Philosophiam arripuit, itidem ut Pythagoras, & Eudoxus, quemadmodum testatur Iamblichus in libro De mysteriis. De quibus Columnis sacræ ante Senum Septuaginta ætatem, ipsiusque adeo Alexandri expeditionem, in Græcam linguam fuisse conversam, atque inde pleraque Platonem hausisse. Inde Numenius Pythagoreus Platonem nihil aliud esse dixit, quam Mosem Atticissantem. Quapropter libros Mosis involasse Platonem uno ore arguunt Josephus, Justinus, Clemens, Theodoretus, & alii. Persuasum etiam aliquando fuit Augustino, Ieremiæ Prophetæ consuetudine usum fuisse Platonem, dum esset in Ægypto; sed rationibus temporum accuratius subductis eam demum opinionem repudiavit. Certum tamen est, cum in Ægyptum appulit Plato, maximum illic tum fuisse Judæorum numerum, ex iis videlicet prognatorum, quos una cum Ieremia traduxerat illic Johanan, post interfectum ab Ismahele Godoliam, tum & eorum, qui regionis vicinitate, aliisvecaulis invitati, illic migraverant.

Verum etiamsi alia nos indicia destituerent, vel sola Platonica doctrina cum Mosaicâ consensio, alterius ab altera propagationem ostenderet. Res abiret in immensum, si singula persequerer: præcipua duntaxat delibabo quadam, unde documentum de reliquis sumi possit. De mundi primum officio ita disserit Plato in Timæo, & Timæus ipse Locrus, ut Mosem pene ipsum differenter putes: nam & Deum supremum rerum opificem agnoscunt, & mundum ab eo creatum ad exemplar, sive ideam æternam in mente ejus expressam. Mundi materiam *αεὐπαράχουσαν* & æternam statuisse Platonem ex illis Mosis verbis: *Terra autem erat inanis & vacua*, contendunt Interpretes plerique, & Justinus in Parænesi, quasi inanem illam terram, aliam esse crediderit, quam quæ priore Geneseos versu à Deo creata dicitur. Certe *ἀόριστον* illam appellat Plato, & *ὅσον ὄριν ἐ, τὸ πᾶν ἦν ἄει*. *Existentem priusquam omnia fierent*. In commodum sensum trahunt id Platonici quidam, & Christianis dogmatis accommodant, materiam dicentes, itidem ut ideam, in Dei decreto æternam spectasse Platonem. Verum satis illi, & ex Theogonia Hesiodi, & ex Pythagoreorum, ex Anaxagoræ, ex Stoicorum, ac deinde Valentinianorum, & Marcionistarum consentiente cum Platonis decretis doctrina refelluntur. Finem hunc sibi, cum mundum crearet, proposuisse Deum ait Plato, ut optimum opus, & bonitatis suæ particeps conderet; quod postquam perfectum vidit, mirifice esse delectatum: nempe à Mose acceperat, Deum opera sua, postquam creata sunt, probasse: *Viditque Deus, inquit Moses, cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. Astra ad determinanda temporis spatia, condidisse Deum dixit Plato, juxta Mosis effata, verbis etiam ejus usurpatis. Deum res verbo creasse pronuntiat *ἀπολέξει* in Timæo. Itaque universalitatem rerum creatam à Deo & conservatam cum animo consideraret ipse, & Socrates, & Pythagoras, Dei vocem audire sibi videbantur: ut dixisse illos tradunt Aristobulus apud Eusebium, & Clemens Alexandrinus: quippe legerant apud Mosem verbo Deum res condidisse: *Dixitque Deus, Fiat lux, & facta est lux*. Hominem partim à Deo, partim à Dei ministris ipsius jussu creatum esse docuit Plato in Timæo. Idem hominem Dei simulacrum esse à Mose acceptum tradidit. Paradisum voluptatis à Mose descriptum refert Jovis hortus Platoni commemoratus, ut notatum est ab Eusebio. Sed & Serpentis historiam expressit allegorice. Primorum hominum vitam ita descripsit, ut Adami & Evæ vitam possis agnoscere: & Diluvii meminit: & *νομοθεσίαν* suam condere exorsus, eundem narrationis ordinem tenuit, quem Moses est persecutus. Servitutem à Græcis lege sua prohibuit, quemadmodum ab Ebrais Moses, septimo ipsos anno in libertatem restitui jubens, si qui fuissent servituti mancipati: *ἢ ἂν ἰδὲ βελίων ἂν ἴδω ἰδάλιον*. *Ebraeorum enim nullus serviebat*: inquit Josephus. De restitutione rerum furto subreptarum, & nocturni furis cæde, & bove cornu feriente, paria fere utrique placuerunt. Rempublicam suam in duodecim tribus, perinde ut Israëliticam, discretam esse voluit Plato. Ideas suas quemadmodum à

Plat. Tim.

Gen. 1. 31.

Aristob. apud  
Euseb. Præp.  
Evang. libr. 13.  
Clem. Alex.  
Strom. libr. 5.  
Gen. 1. 3.  
Plat. libr. 3. de  
Leg. & Tim.  
Euseb. Præp.  
libr. 12.

Joseph. Antiq.  
libr. 8. cap. 1.